

corrigere et celestibus inhiare. Propter hoc enim te et universum ordinem ulnis favoris et gracie volumus perpetuo confovere.

68.

Strennum virum t(alem) fid(elitati) t(ue) propensius commendamus mandantes et volentes, quatinus ipsum contra quorumlibet iniuriatorum insultus illicitos nostro nomine manuteneas et defendas, te nichilominus eidem in causis et questionibus universis, quas idem de suis iniuriatoribus et alii vice reciproca de ipso movere voluerint, iudicem communem deputantes, ita ut usque [ad] adventum t(alis), quem in proximo a latere nostro mittemus, eidem de omnibus suis iniuriatoribus et aliis vice reciproca de ipso querelantibus exhibeas et impendas exacte iusticie complementum.

83.¹

Quia prolixè discordie intestina turbacio inter tales iam pridem exorta grandia noscitur incessanter inferre dispendia et dampnosa parere nocumenta, prudenciam t(uam) ro(gamus) plenissimo cum affectu, quatinus cum illius cause negocium tibi et provido viro t(ali) a sede apostolica sit commissum, honor(abilem) t(alem) prenotati loci^a habens benigne pro nostra reverencia recommissum, ad compositionem amicabilem inter partes omnimodas curas tuas et operas efficacissime studeas applicare. Que si processum habere non valeat, favorabilis ipsum t(alem) et celeris exhibicione iusticie velis efficaciter expedire.

85.²

Germinantibus inter vos intestine discordie et civilium iurgiorum erroribus ex interno compacientes affectu et magnopere cupientes morborum huiusmodi obviare principiis et subortas simultates et odia penitus extirpari, ecce quod t(alem) pacis et concordie zelatorem ad vos transmittimus confidenter prudenciam vestram affectuose rogantes, quatinus verbis suis super hiis, que ad pacis et concordie faciant unionem omnimodam, nostro nomine fidem credulam adhibere curetis ut nostris, eadem cum affectu benevolo prompto effectui mancipando.

a) So T.

1) Auch in E fol. 133 n. 183. 2) Auch in E fol. 137 n. 199 und O, gedr. 'Wiener Briefsammlung' 201 n. 190. Reg. imp. VI, 1574.